1683
(18 mai)

352

CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS
AD DANDUM SENATUI RESPONSUM
LATA
IN PROPOSITIONEM
DE QUA ILLE QUÆSIERAT
quid ipſa ſentiret.



PARISIIS
Excudebat SEBASTIANUS MABRE-CRAMOISY
Regis Typographus.

M. DC. LXXXIII.

ÆQUISSIMIS SUPREMÆ PARISIENSIS SENATUS CURIÆ JUDICIBUS

DECANUS ET FACULTAS THEOLOGIÆ PARISIENSIS FOELICITATEM

& repromiſſam facientibus juſtitiam æternæ gloriæ coronam exoptat.

Inſcriptionem hanc habet ad verbum Inſtrumentum quod legitur in actis Facultatis an. 1523. ubi ipſa Senatui reſpondet.

INTEGRÆ RELIGIONIS ſervandæ ſtudioſus, avitumque ſuum morem ſequens Senatus ampliſſimus ſacram Facultatem conſuluit, ut de quadam Propoſitione judicium ipſius doctrinale haberet exploratum : quam quidem ob cauſam

plures ex hoc Ordine accerſendos decrevit hocce anno die Jan. 30. Syndico palam porrigens Propoſitionem Facultatis examini ſubjiciendam. Hanc cùm primùm à M. Edmundo Pirot Syndico Facultas accepit die Feb. 1. Magiſtros delegit qui eam expenderent, ſibique poſtea quid videretur ſtatuendum referrent. Hoc ab iis relatum die 1. Martii, omniumque ac ſingulorum deliberationi permiſſum, qui menſibus prope tribus, Martio, Aprili, Maio, Comitiis frequentibus quadrageſies & quinquies habitis, Propoſitionem ipſam accuratè perpenderunt; ſuamque tandem ſententiam Facultas tulit, quam ut aperiat, cùm ipsâ in Propoſitione de Romano Pontifice ſit ſermo, cujus jura non modo illæſa eſſe ubique voluit Facultas, ſed & quâque occaſione datâ religiosè venerata eſt, expoſuit copiosè, ſtrenuè defendit, antiquæ ſuæ in Sedem Apoſtolicam reverentiæ eſſe duxit hîc brevì de eâ præfari, diſertéque repetere quod olim non ſemel profeſſa eſt, Romanum Epiſcopum *unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere teneantur*, & qui *immediatè à Chriſto non hono-*

In articulis Facultatis an. 1542. art. 23.

ris ſolùm aut dignitatis, ſed & poteſtatis ac juriſdictionis primatum habeat in tota Eccleſia.

In Cenſura M. Ant. de Dominis & aliis inſtrumentis quæ paſſim extant in commentariis Facultatis.

QUIBUS præmiſſis Facultas ita Senatui reſpondendum arbitratur.

Propoſitio à Senatu miſſa ad Facultatem his eſt vocibus contexta.

AD SOLAM SEDEM APOSTOLICAM DIVINO IMMUTABILI PRIVILEGIO SPECTAT DE CONTROVERSIIS FIDEI JUDICARE.

Quâ quidem de Propoſitione diligenter & attentè perſpectâ, poſt præfationem ſuperiùs habitam, ſic cenſet Facultas.

Hæc Propoſitio, quatenus excludit ab Epiſcopis & Conciliis, etiam generalibus, judicandi de Fi-

Case
Wing
folio
oZ
144
.A1
v.2
no. 58
THE NEWBERRY LIBRARY

dei controverſiis authoritatem, quam habent immediatè à Chriſto, falſa eſt, temeraria, erronea praxi Eccleſiæ adverſa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans aliàs à Facultate reprobatam.

Datum in Sorbona die Maii decima octava an. 1683. recognitum decima nona.

De mandato D D. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis Sacræ Theologi Pariſienſis.

MEMM. TASSIN.